

Q. D. B. V. 1705 49
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPES REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.
DISSERTATIONEM MORALEM,
DE
**DAMNO IN-
NOCENTIBUS
IN BELLO
DATO,**

IN PUBLICO ERUDITORUM CONGRESSU
DEFENDENT

P R A E S E S
M. GEORG. IACOB. ENGELBACHIVS,
WESTHOVIA HANOICO-ALSATUS,
ET RESPONDENS
IOH. CHRISTIANVS Chrhardt /
ALTENBURGO MISNICUS.
A. D. XIX. MENSIS DECEMBR. A. R. S. cl^o Is cc V.
IN AUDITORIO MINORI, HOR. MAT.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.





Proœmium.



Pte sane Mantuanus ille Poeta, *l. 8.*
Aeneid. v. 703. Bellonam , diram illam bellorum Deam , sanguineo quodam flagello armatam in clypeo , quo Venus Aeneam , filium suum, donavit, delineavit. Quemadmodum enim servi quondam apud Romanos , cum scelera perpetrassent, flagellis cæsi sunt ; sic homines , qui servi DEI sunt , in bellis non flagello modo ex funibus aut corio confecto , sed gladio præcipue , aliisque armis mortiferis mirum in modum castigantur , & ita quidem , ut flagellum illud multo interdum sanguine conspergatur. In exemplum hujus rei non jam antiqua accersam bella , quæ pridem multo effuso sanguine sunt gesta. Provocabo tantum ad id , quod hodie universam propermodum Europam instar latisimi cujusdam fluvii inundat. Hic certe , uti quotidie audimus , in diversis & nobilissimis quidem Europæ plagis non milites tantum , sed incolæ quoque miris modis vexantur , agri vastantur , ædificia succenduntur , bona diripiuntur , ipsique millenis modis affliguntur , & occiduntur. Utinam

A 2

vero

vero istiusmodi casus illi modo subirent, qui damnum sibi invicem inferunt, ipsoque belli jure nocentes sunt nuncupandi: Verum videmus proh dolor, eos quoque in casum trahi, qui, quod ad causam belli attinet, pro innocentissimis potius essent habendi. Hæc certe res me induxit, ut, quando specimen quoddam Academicum dandum est, disquirendum mihi sumserim, numne ergo in bello licitum sit, quoscumque five nocentes, five innocentes sint, sine discrimine vexare, spoliare, damno afficere, trucidare. Quod omnino, præcipientibus sic ipsis naturæ legibus, negandum esse duxi. Hinc L.B. enata est hæc Disputatio, *de Damno innocentibus in bello dato*, quam secundum naturæ leges sic, spero, deduximus, ut quid hac de re sentiendum sit, quodam saltem modo cognosci possit.

§. I.

NE vero hic veluti in ignota oberremus sylva, priusquam ad ipsam rem nos accingamus, disquirendum ante omnia est, de vocabulis, quæ in themate nostro occurront, ut his expositis, in ipsius argumenti cognitionem facilius pervenire queamus. *De Damno* enim primum est quæstio. Ubi quidem neminem vocabimus in litem, qui damnum vel a *demando* cum HUGONE GROTIO *Lib. II. C. XVII. Th. II. n. i. de Jur. B. & P. vel ab ἀπάντη*, vel denique a διαμερίᾳ quod idem est ac οἰάλῳ cum aliis derivaverit. Sed hoc magis considerandum meretur, quod hoc vocabulum modo stricte, pro uti ad solas res pertinet, modo laxe, ut omnem lesionem, (cum PVFENDORFIO *de Jure Nat. & Gent. L. III. C. I. Th. III. loquor*) complectatur, quæ etiam ad corpus, famam, pudicitiamque hominis spectat, accipitur. Nos cum eodem PVFENDORFIO late hic vocabulum

lum accipimus , pro uti'notat omnem lesionem , corruptionem ,
diminutionem , aut sublationem ejus , quod nostrum jam est , aut
interceptionem ejus , quod ex Jure perfecto debeamus habere ; si-
ve id datum sit a natura , sive accidente factio humano aut le-
ge attributum ; sive denique omissionem aut denegationem ali-
cujus præstationis , quam nobis alter ex obligatione perfecta ex-
hibere tenebatur . Cæterum notetur hic , damni Synony-
mum non esse *injuriam* uti multi existimant . Latius patet
vocabulum damni , quam *injuriæ* . Omnis quidem *injuria*
est *damnum* , sed non contra .

§. II. Procedimus ad varia damnorum genera .
Damnum enim non est unius generis , pro uti videre est
apud D. CHRIST. THOMASIUM , in institut. Jurisprud.
div. Lib. II. C. IV. Th. 17. sqq. Sed nobis hic sufficerit divisio ,
qua *damnum infertur vel homini ipsi , vel iis , qui & que ad ipsum pertinent* , & sub uno nomine SUI comprehenduntur .
Sic is homini non tantum *damnum infert* , qui corpus ejus
lædit , sed & qui ejusdem uxorem , liberos , servos &c.
damno afficit , ejusdem item domum , agros , hortos , pe-
cudes , aliaque ad ipsum pertinetia vastat & affigit .

§. III. Damnum vero non uno eodemque modo
inflictitur . Fit enim , ut quis *sine intentione* alicui *damnum*
inferat : sæpius vero contingit , ut homines *ex proæfisi* ,
damno se invicem afficiant. Accidit , ut quis ipse *immedia-*
te aliquem affligat ; interdum vero perficit id *mediantibus*
aliis , qui operam ei hac in parte condixerunt . Nonnun-
quam denique quis *vel directe , vel indirecte* alicui nocet .
Directe quidem quando id perpetrat , ex quo immediate
damnum sequitur : indirecte vero , quando quis illud
agit , quod *mediantibus aliis rebus in perniciem alicujus*
tendit. Evidem primo intuitu una eademque videtur es-
se distinctio , quando diximus , posse aliquem *cuidam noce-*
re directe , & indirecte , immediate , & mediate. Verum

re penitus perspecta, apparebit, illam distinctionem ad res,
hanc vero ad personas respectum habere.

§. IV. Jam hoc apud nos extra dubium est, posse
damnum inferri iis, qui pravis suis facinoribus ipsi met
in causa sunt, ut ab iis, quibus jus competit plectantur.
Hoc enim requirit ratio justitiae, quam non homines tan
tum, sed DEUS ipse quoque summo jure exercet. Sic
DEUS, quo non est justior alias, celeberrimas quasdam
Asiac civitates, pice & sulphure cœlitus demissos, delevit,
soloque æquavit, eo que ipso sumimam justitiae laudem re
portavit. Et quamvis hic obstat videatur nobilissimum
illud Juris Naturæ scitum. Neminem læde: tantum ta
men abest, ut nefarios homines illud defendat, ut multo
potius ob nefanda scelera semet ipsos ab hoc Asylo exclu
dant. Et sic in bene constitutis rerumpublicarum formis
quotidie videmus istiusmodi pravos homines puniri, qui
celestis suis facinoribus se nobiles ibi reddiderunt. Et
quamvis interdum contingat, ut nocentibus parcatur, hoc
tamen non sit propter ipsos, sed propter innocentes, qui
ipsi immixti sunt, ne triticum cum zizaniis ebellatur, ut
Salvatoris nostri phrasis habet. Conf. HUGO GROTIUS
Llib. III. C. I. Th. IV. n. 3. in aureo de Jure B. & P. monumento.

§. V. Verum de nocentibus nobis nulla in præsens
est quæstio, sed de innocentibus quæritur, ut ex titulo Di
sputationis apparet. Quoniam vero in hac mortali vita
toties contingit, ut pro innocentissimis nocentissimi qui
que se venditent, penitus nobis in innocentiae rationem
descendendum est. Is scil. demum innocens jure vocan
dus erit, qui nullam malefactis culpam sibi contraxit. Ex
quo apparet, non omnem, qui innocentiae titulo gloria
tur, vel sic apparet, vero innocentis nomine esse dignum:
alius enim est *innocens appenter talis*, aliis vero *vere in
nocens*. Ad hæc alia accedit distinctio, ut *innocens* dicatur
pel

vel in totum, vel in tantum: in totum quidem, qui nullo modo in culpa est, quod facinus quoddam est perpetratum, & ne tantillum quidem ad damnum inferendum contulit. In tantum vero, qui quidem non solus in culpa est, quod damnum alicui datum est, culpa tamen, quia aliquid ad pravum factum contulit, non plane vacat. Innocens vero, qui nulla unquam per totam vitam culpa se commulavit, inter mortales non datur.

§. VI. Quando ergo illi tantum damnum inferri potest, qui aliquam culpam sibi contraxit, facile apparet, eos, qui nullam culpam in se habent, damno vacare debere. Quam crebro vero, quod maxime dolendum est, contingit, ut innocentissimi quique damnum non simplex nec leve sentiant. Non jam excurrat in latisimum dicendi campum, in quo mihi tot innocentium hominum agmina, quibus extra bellum etiam damnum datum est, occurunt. Manebimus in nostris, quibus nos circumscripsimus, limitibus, & videbimus, numne etiam in bellis innocentes damnum aliquod subeant. Hic vero non prolixiores in probando erimus, ne soli faculam admovere videamur. Bellum enim est lerna illa malorum, ex qua omnium generum facinora egrediuntur. Quousque enim non graffatur licentia illa bellica, quam & belli Duces, & gregarii milites nefandum saepe in modum exercent? vires hic excursiones in terras, quæ nullum unquam hostilem animum induerunt. Conspicis hic viatores innocentissimos pecunia spoliatos, indumentis exutos, miris crucifixibus trucidatos. Occurrunt ibi hospites, & in ditionem recepti, quorum jura sunt violata. Ante oculos nostros se fuisse miserabile quoddam agmen ex Senibus, infantibus, & hominibus sequioris sexus mistum, quod vel ipsam misericordiam in semet conferre posset, quod vero conspicis vario mortis genere esse violatum. Sed de his aptior erit infra dicendi locus.

§. VII.



§. VII. Progredimur ergo potius ad *belli* nomen,
de quo in titulo est injecta mentio. Hic vero non multum
in eo erimus occupati, utrum bellum *a duello* ut GROTIUS
existimat, L. I. C. I. Th. II. n. 2. de *Jure B. & P.* An vero a græ-
co έπιτελν ut ALBERICVS GENTILIS conjicit L. I. C. II. p. 17.
de *Jure Belli*. An vero ab alio quodam vocabulo derivetur.
Nec ei liti nosmet immiscebimus, utrum bellum *in publicum &*
privatum dividi possit, quod alii affirmant, alii vero ne-
gant, quum hic profiteamur, nobis de publico potissi-
mum bello esse sermonem. Hoc potius agimus, ut sup-
peditata quadam definitione ad necessarias quasdam di-
visiones dilabamur. Bellum ergo non male a D. GOT-
LIEB GERHARD TITIO in *Observat. in Pufendorf. LL. de*
Offic. Homin. & Civis definitur, quod sit *status insignis homi-*
nūm multitudinis, per vim vel apertam vel obliquam, propter
jus controversum, certantis, aut, omissa, etiam ex pacto, ad tempus
hostilitate, propositum certandi retinentis. Hic vero nobiles
quædam occurunt divisiones, quarum una bellum di-
stinguit in *Offensivum & Defensivum*: Offensivum, si PV-
FENDORF Lib. VIII. C. VI. §. 3. credas, est, quando ab ali-
quo extorquemus debita, quæ nobis abnegantur, aut in-
juste erepta recuperatum imus, cautionemque in poste-
rum quærimus. Defensivum vero, ubi defendimus &
retinere laboramus, quæ nostra sunt. De utroque nobis
quæstio est. Altera vero divisio non minus nobilis est,
qua bellum dividitur in *justum, & injustum*. Justum dicitur,
cujus causæ omnes sunt justæ: injustum vero, cuius vel
omnes causæ sunt injustæ, vel aliqua faltem causa est in-
justa. Cæterum quænam causæ belli sint justæ, vel injus-
tæ, videantur apud PVFENDORF. Lib. VIII. C. VI. §. 3. & 6.
& JVSTVM LIPSIVM, ex editione Job. Frider. Reinhardi.
L. V. C. VI. p. 1483. seqq.

§. VIII. Nos



§. II^X. Nos in præsens non loquimur de quocunque bello, sed de bello Justo, probe scientes, quodcunque damnum in bello injusto illatum, esse non simplex damnum, sed veri nominis injuriam. Et sic cum quibusdam non omnem bellorum justitiam e medio tollimus, sed malum a bono legitime segregamus. Quamvis etiam non existimemus principium Juris Naturæ esse bellum omnium contra omnes, quod HOBESIO quondam placuit, putamus tamen quoddam esse justum atque ab ipso Jure Naturæ concessum. Fundatur enim hoc assertum in sanctissimo Juris Naturæ præcepto, quod agit de legitima sui conservatione. Nisi enim licitum esset, se & sua defendere, & necessitate urgente vim vi repulsare, vel injuriam sibi illatam & bona ipsi denegata aut erepta recuperare, non exigua Juris hujus pars periret. Ad hæc non video qua ratione societas hominum salva manere & farta subsistere possit, si quodvis in quosvis esset concessum. Nonne sic brevi temporis spatio omnia susque deque vergerent, mirumque in modum miscerentur. Ad Argumenta *Socinianorum*, quibus bellorum justitiam impugnant, vid. HULSEM. in *Breviar.* p. m. 1634, & SCHERZ. *Colleg. Anti-Sor.* p. 1125.

§. I^X. Ex quo consequitur, licere in bello justo hostium non bona tantum invadere, diripere, spoliare, sed & vita eos, si res ita postulat, privare. Quando enim hostis Principi alicui ea, quæ ad ipsum pertinent, vel deneget, vel eripit, nec aliud remedium, quo illa recuperare vallet, supereft, (non enim statim & intentatis aliis benignioribus remedii in bellum prorumpendum est) jure talionis hostis bona invadere, eaque vi, in potestatē suam redigere potest. Quod si vero hostis armata manu eidem occurrat, ipsique quocunque modo potest, viam præcludat, quo minus jus suum persequi valet, licitum est eundem etiam cum vitæ dispendio deturbare, &, donec jus suum obtinuit, eundem affligere & vexare. Vel, si hostis nulla

B

præ-



prægnante causa adductus ad Principis solum appropin-
quat, loca, quæ ipsi jure concessa sunt, occupat, & mani-
festam ubique vim non prodit tantum, sed & ipso facto in-
fert, vim vi repellere, seque & sua conservare ac defen-
dere potest. Quamvis non negem, hic non ultra modum
esse grassandum; *sunt enim & Belli sicut & Pacis jura*, ut ve-
risimum CAMILLI ad Ludi Magistrum Faliscorum pue-
ros prodentem pronunciatum habet.

§. X. At alia longe quæstio est, quando de innocen-
tibus quæritur. Illi enim non pari modo, uti nocentes sunt
lædendi. Militat enim pro iisdem immota Juris Naturalis
regula: *Innocens non est ledendus*. Nec non alia: *Innocens
non est injuria afficiendus*. Quod quidem tanti ponderis ar-
gumentum est, ut, probe pronunciante Excellentissimo Do-
mino CHRISTIANO ROEHRENSEE Philos. Pract. apud
nos Prof. Publ. longe celeberrimo, Patrono & Hospite, qua par-
est, veneratione colendo, in Disputat. de Pœna Innocentis, præ-
ter culpam rei in nullo alio præsidio quam in innocentia
sua, securitatem quærant, & præter meritum damnati sola
innocentiae conscientia fortunam suam consolentur. Tam-
etsi vero hoc Juris Naturæ scitum tam sanctum sit, ut nul-
lo modo violari debeat, quandam tamen limitationem ad-
mittere videtur. Contingit enim saepius, ut, quoniam bo-
ni malis sunt immixti, nocentes puniri non possint, nisi
& innocentes damnum quoddam accipient. Hinc neces-
sario distinguendum esse videtur, inter damnum innocen-
tibus datum directe & ex intentione, & inter damnum in-
flictum præter intentionem & indirecte. Priori quidem mo-
do nunquam licet damno innocentem afficere, at posteri-
ori modo interdum id concessum est, quando nimisrum ali-
ter fieri non potest, quam ut innocentes cum nocentibus
affligantur. Possent enim e. g. in Bello semper immisceri
quidam innocentes, & per hos ligari manus juste bellan-
tium.

§. XI.



§. XI. Ut vero res eo melius percipiatur, lubet ad speciales quosdam casus descendere, ex quibus videre licet, quosnam sub nomine innocentium comprehendamus. Quæritur enim primo, utrum hostibus non armatis damnum inferre liceat? Nos, priusquam ad hanc quæstionem respondeamus, distinguendum esse censemus inter hostes ipsos, & hostium subditos. Hostibus quidem ipsis, qui hostilem animum jam satis declararunt, iisque, qui ipsos in nobis lædendis, adjuvant, damnum inferri posse existimo, ita quidem, ut, etiam si inermes reperiantur, damnum non ad bona tantum eorum, sed ad vitam quoque se extendat. Et sic licet hostem ex insidiis adoriri, ex improviso eum opprimere, locaque munita Marte etiam non aperto occupare. Quod vero ad hostium subditos attinet, illos si prius per edictum fuerint præmoniti, nec se sponte dedant, sed recalcitrant, idem damnum accipere fas est, quoniam contumacia sua de peccato imperantis participant, seque ipsis in perniciem præcipitant. Accedit, quod fæpissime contingit, ut Princeps ipse damno affici non possit: quod igitur in ipsum hostis non potest, in subditos etiam non armatos effundit, & jus, quod a Principe non potest, a subditis, qui ad ipsum pertinent, extorquet. Scilicet juxta antiquum illud H. O. R. A. T. II:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Huc pertinet etiam, quod bellum non Principi tantum, sed subditis quoque ejus indici soleat. Exemplum habemus in LIVIO, ubi hoc decretum comparet: *Vellent, juberent populo Carthaginensi bellum indici. Lib. XXI. Histor. C. XVII.* Hostis autem qui est, bene addit GROTIUS *Lib. III. C. IV. Th. 8. n. 1.* de Jure B. & P. ubique secundum jus gentium impeti potest: aditque illud EURIPIDIS:

Νόμος γὰς ἐχθρὸν δρᾶν ὅταν λαῖς κακῶς,

Ubicunque prensum jura lædi hostem sinunt.

Quod quidem assertum adeo verum est, ut DEUS ipse ob



Davidis, Illustrissimi illius Israëlitarum Regis, delictum,
70000. peste immissa sustulerit, Rege ipso clamante : Ego
sum, qui peccavi , ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fece-
runt? vertatur obsecro manus tua contra me & contra domum
patris mei. vid. 2. Sam. c. XXIV.

§. XII. Ab hostium subditis descendimus ad hostium
Socios, & quaerimus, quidnam in illos liceat? Hic vero ite-
rum distingvimus inter Socios, qui hostem rebus quibuscum-
que, quibus contra me uti, vel semet sustentare potest, juvant;
& eos, qui hosti nibil, cuius usus aliquis in bello esse potest, sub-
ministrant. Hos, quemadmodum innocentes sunt, nec la-
cessere, nec lädere licet. Illos vero, qui de delicto hostis
participant, ejusque contra me vires sustentant, eo ipso
in hostium numero habendi sunt, vid. pluribus hac de re
agentem HUGONEM GROTIUM Lib. III. C. I. §. 5. de Ju-
re B. & P. ubi memoriae prodit, & olim & nuper de ea re
acriter esse certatum, cum alii belli rigorem alii commer-
ciorum libertatem defenderent.

§. XIII. Sed quid de Peregrinis, vel peregrinandi
tantum, vel negotiorum suorum causa apud hostes com-
morantibus decernendum esse censes? Contingit enim sa-
pius ut istiusmodi homines ex improviso bellum deprehen-
dat, numne ergo statim & hi hostium nomine venire de-
bent? nihil hic temere decernendum est. Remeandi enim
copia ad suos ipsis est danda, quoniam nihil contra nos de-
liquerunt. Hinc Epidamnum obsesturi *Corcyrae* peregrinis
primum discedendi faciebant copiam, teste THUCY-
DIDE. Quod si vero eandem neglexerint, & cognito bel-
lo sua culpa diutius in hostili solo substiterint, amittunt
hoc nobile innocentiae præsidium, & ut hostes tractantur,
quia & ab iisdem damnum aliquod metui potest. Unde ce-
lebre est pronunciatum apud LIVIUM : *hostis ille sit, qui-
que intra præsidia ejus sunt.* Hic vero iterum limitatione
quadam hoc dictum indigere arbitror. Potest enim eve-
nire,

nire, ut peregrinus lubens quidem hostilem terram relinqueret, sed vel ex improviso circumventus, vel ab hoste coactus diutius subsistere teneatur. Quodsi ergo istiusmodi homo in potestatem alicujus venit, parendum eidem est, secus si fiat, belli calamitati est adscribendum.

§. XIV. Altior quæstio nobis sese offert de *Legatis*, qui vel ad hostes, vel ad alios missi, in hostium territorio reperiuntur. Evidem si istiusmodi Legatus ad hostem, quem ego persequor, mittitur ideo, ut contra me aliquid decernat, jure eum non detinere tantum, sed eo, quo hostem habeo, loco, habere possum. Nec obstat hic Legationis jus, quod alias inviolabile prorsus haberis solet. Consensum profero *Clarissimi Domini BUDDEI*, qui in *Elementis suis Philos. Pract. p. m. 288. tb. 25.* sic decernit: *Nec Legatorum Sanctitas eosque se extendit, ut si per territorium hostis ad quem mittuntur transeant, non debeant violari. Finis enim Legationum sine hoc jure obtineri potest. Nec obstat, quod summum Imperantem referant. Namque & ipsi summi Imperantes ab hoste ladi possunt. Ergo multo magis, qui eos representant Legati, nisi Lex specialis aut conventio intercedat.* Alia vero res est, si vel ad hostem in alia quadam, quam contra nos, causa, vel ad alios, quibuscum nobis nullum bellum intercedit, mittantur. Sic enim Jure incolumentis ex merito quodam suo fruuntur.

§. XV. A Politicis his ministris ad sacros ministros, quos *Sacerdotes* vocare solemus, transimus. Illi ergo, quoniam contra nos arma non gestant, tamque sanctum munus gerunt, nullo damno sunt afficiendi, nec ullo scelere sunt violandi. Præprimis quia nobis ab ipsis nullum metendum est periculum. Alia vero res est, si specialis ratio intercedat: Sic *Jehu* ex mandato ipsius Numinis sacrificulos Baaliticos in Idoleo congregatos, ad unum omnes interfecit 2. *Reg. cap. 10.* Si etiam in armis deprehenduntur, & pugnantes reperiuntur, hostium nomine sunt habendi.

Sic Ulricus Zwinglius , quum civile bellum inter Tigurinos & Quinque-pagicos exarsisset , in prælio Cappellenensi sua culpa occubuit , memorante SLEIDANO , Lib. VIII. de Statu religionis . in cuius obitum Jacobus Micyllus hoc chronodistichon composuit :

Occubuit patrio bellator Zwinglius ense.

Et pressa est armis Gens populosa suis.

§. XVI. Fit quoque non raro , ut in ditionem receperit ab hoste interficiantur , quemadmodum a Romanis Pometiae Principes , a Sulla Samnites , a Cæsare Numidæ sunt interficti . Imo , quod GROTIUS testatur , mos hic ferme perpetuus , Romanorum in hostium Duces five captos five deditos , ut triumphi die occiderentur . L. III. C. IV. Th. 12. de Jure B. & P. Sed quo jure id fieri existimas ? scilicet , dedunt se hosti supplices duobus potissimum modis , vel cum conditione , vel sine conditione . Cum conditione receptis , fides semel data est servanda , nec unquam rescindenda , nisi novum accedat delictum . Quemadmodum Cæsar quos antea ceperat iterum captos interficit , stultitia deputans , servare eos , qui non semel adversati fuissent , conf. ALBERICUS GENTILIS , Lib. II. C. XIX. de Jure Belli . Secus si fiat , is , qui deditos violat , severam DEI vindictam , & omnium bonorum odium jure incurrit . Exemplum ex Sacris petere licet a Saule , primo Israëlitarum Rege , qui Gibeonitas , a Josua ante in fidem receptos , ut videre est ex cap. IX. Lib. Josue . gravi damno affecit . vid. 2. Samuel . c. XXI. Si qui vero sunt , qui sine conditionibus se viatoribus permittunt , æquitas jubet parci his , ut recte tradit GROTIUS , de Jure B. & P. L. III. C. II. §. 15.

§. XVII. Sed progredimur jam ad homines sequoris sexus , quibus a furiosis militibus non mediocre sæpe damnum illatum esse legimus . Sic Thraces olim , capta Mycaleffo , foeminas quoque & infantes occiderunt , narrante THUCYDIDE . Idem de Macedonibus , cum Thebas

bas cepissent, narrat Arrianus. Titus etiam pueros & fœminas Judaeorum in spectaculo feris laniandos proposuit. Hæc & plura exempla vid. apud GROTIUM Lib. cit. p. m. 1077. Cujusmodi exempla utinam non apud Christianos extarent. Qua enim fœvitia in Urbe Magdeburgica superiori seculo a Cæsareanis militibus expugnata, fœminæ fuerint violatæ & interficitæ, passim testantur Authores. Sed hæc sunt nefanda belli dèdecora. *Fœmina* enim, ut probe dudum SENECA observavit, *nomen hostis non capit*. Hinc fœminas sexus excusare debet. Fœminæ enim communiter nec arma tractant, nec ad oppugnandas vel defendendas urbes constituuntur. *Stat* enim, ut Poeta canit, *sexus rufis insciusque ferri*. Hinc est, quod Alexander ille Magnus prælio Dario devicto, matrem, uxorem, liberosque ejus inusitata prorsus clementia suscepere, teste CURTIO Lib. III. c. 12. Sic Totila Gothus capta Urbe & hoc accuravit, ne ulla vitiaretur, fœdaretur fœmina. Et de Bellifario narrant, quod Alexandri exemplo ne aspicerit quidem bello captas. Aliter vero tractandæ sunt, si quæ Amazonum more arma capiant, bellumque cient: Tunc enim non amplius ut fœminæ, sed ut viri sunt respiciendi, damnoque afficiendi.

§. XVIII. Quemadmodum vero fœminas sexus, sic infantes & pueros ætas excusare debet. Quod & SENECA confirmat. Lib. II. c. 9. de ira, dum dicit: *Num quis irascetur pueris, quorum etas nondum novit rerum discrimina?* Bene igitur CAMILLUS, fortissimus ille Romanus dictator, improbum illum ludimagistrum, commissos sibi pueros ex Urbe Fallica in Stationes suas deducentem supplicio probe mulctatum suis reddidit, insuper addens: *Arma habemus non adversus eam etatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos, & ipsos, qui nec lesi, nec lacestati a nobis, castra Romana ad Veios oppugnarunt: eos tu, quantum in te fuit, novo scelere viciisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis sicut Veios, vincam.* Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatus,



tis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgasque eis,
quibus proditorem agerent in Urbem verberantes, dedit.
teste LIVIO Lib. IV. H. 8.

§. XIX. Ad Senes tandem lento pede transimus, quos
item nullo in bello damno afficiendos esse assurrimus, lau-
dantes illius PAPINII sententiam. apud GROTIUM Lib.
IV. C. XI. Th. 9. n. 4.

- - - Nullis violabilis armis
Turba Senes.

Senes enim ad arma ferenda, non dicam regenda, minime
omnium sunt apti, quod vel ex VIRGILIO discimus, qui,
quando Priamum, Regem Trojanorum, multorum anno-
rum Senem arma induentem inducit, sic inquit:

*Arma diu senior desueta tremebat aro
Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.*

Hinc & Hecuba, regia uxor, ipso viso statim exclamat.

- - *Que mens tam dira, miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? - -
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget. Lib. II. Æneid.*

Quoniam igitur de Senibus nullum metuendum est pericu-
lum, dum potius de se sustentando, quam de vi aliis infe-
renda sunt solliciti, æquum omnino est, eos, quocunque
modo fieri potest, salvos praestare atque incolumes.

§. XX. Ad agros, hortos, vinea, ædificia, privata pariter &
publica, templa quoque, & forsitan alia progrediendi erat animus,
ut, quid in haec in bello liceat, clarum fieret, sed quum Disputatio
nostra præter exspectationem sub manu nobis excreverit, & nos
angustis admodum circumscripti simus limitibus, nobis hic subsi-
stendum est. DEUM vero, Dominum Exercituum, calentissimis
invocamus precibus, ut bella a nobis nostrisque regionibus cle-
menter avertat, & eundem, ne metuenda tot belli nobis

mala sint, demississimis votis nullo non tem-
pore compellamus.

S. D. G.



W. Henberg, Diss., 1705

ULB Halle
008 559 767

3



Q D. B. V. 1705 49
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.
DISSERTATIONEM MORALEM,

DE
DAMNO IN
NOCTURNA
IN
IN PUBLIS

M. GEORG.
WESTHO

IOH. C.

A.
A. D. XIX. M.
IN AUL

VITEMB.

